

49. *Episcopi ratione servitorum in curia regum, etc., præstandorum, nequeunt discedere a suis Ecclesiis, nisi obtenta prius in scriptis Papæ licentia.* — Unde notat Azorius part. II. lib. VII. cap. IV. quæst. 6. et Diana part. II. tract. I. resolut. 5. in fin. Barbosa d. allegat. 53. n. 17. atque Garcias part. III. *de Beneficiis*, cap. II. n. 389, quod episcopi in curia regum, aut aliorum principum sæcularium, fungentes officio regii præsidis, vel consiliarii, aut pro regis, non eximantur a residentia suorum episcopatum, nec possint horum fructus percipere in absentia: nisi forsitan sit defectus hominum, nec alii reperiantur satis idonei ad præstanda talia munia reipublicæ, simulque accedat consensus Romani Pontificis, juxta constitutionem 139. Urbani VIII, quæ incipit, *Sancta Synodus*, supra n. 46. jam citatam. Ita quippe § 8. et 9. Pontifex sub gravissimis pœnis, prohibet omnibus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, etc. ne a suis Ecclesiis discedant, nisi obtenta prius Romani Pontificis pro tempore existentis per Breve, seu Litteras missivas licentia. » Adeo, ut ab earum pœnarum incursu (subditur § 10.) nullus se excusare possit, prætextu, et ratione cujuscunque servitii, quomodolibet præstiti, et præstandi pro gerendis et tractandis negotiis quorumcunque principum, etiam imperatoris, et regum, ac rerumpublicarum, regnorum, ac provinciarum; nec ratione cujuslibet jussionis, vel mandati eorum, vel earum, quandocunque facti, vel faciendi, » etc. prout amplius in eadem Bula continetur; et notat Fagnanus in c. *Qualiter*. n. 12. 13. ac seqq. h. t.

50. *Pœnæ episcoporum non residentium, quæ? Episcopus non residens, pro rata temporis absentia fructus episcopatus non facit suos.* — Quæritur IV. Quæ sint pœnæ episcoporum non residentium? Resp. I. Præter reatum culpæ mortalis quem incurrit episcopus non residens, ut supra, pro rata temporis absentia fructus episcopatus non facit suos; sed tenetur ipsos restituere Ecclesiæ, vel pauperibus, et quidem ante omnem aliam sententiam judicis. Textus est apertus in concilio Tridentino sess. 23. cap. I. vers. *Si quis autem, de Reform.* ubi loquendo cum primis de episcopis, sic legitur statutum: « Si quis autem, quod utinam nunquam eveniat, contra hujus decreti dispositionem abfuerit, statuit sacrosancta synodus, præter alias pœnas adversus non residentes, sub Paulo III. impositas, et innovatas, ac morta-

lis peccati reatum, quem incurrit; eum pro rata temporis absentia fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta illos fabricæ ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare: prohibita quacunque conventionem, vel compositionem, quæ pro fructibus male perceptis appellatur, ex qua etiam prædicti fructus in totum, aut pro parte ei remitterentur, non obstantibus quibuscunque privilegiis cuicunque collegio, aut fabricæ concessis. » Hæc ibi.

51. *Teneturque ipsos in foro conscientia, et ante aliam sententiam judicis restituere; et cur? Idque declaratur exemplo beneficiarii non recitantis horas canonicas.* — Ex quibus verbis patet, episcopum ultra trimestre, ac cessante alia legitima causa absentem a sua Ecclesia, teneri etiam in foro conscientia, et ante aliam sententiam declaratoriam superioris judicis, restituere fructus episcopales: non minus, ac clericus beneficiarius ob omissionem recitationis Horarum canonicarum, pro rata temporis, tenetur fructus sui beneficii restituere. Siquidem tum episcopus non residens, ut supra, tum beneficiarius non recitans Horas canonicas, per leges ecclesiasticas factus est inhabilis ad acquirendos ejusmodi fructus; eo quod sacri canones impediunt acquisitionem fructuum beneficialium, nisi ponatur conditio personalis residentia, aut recitationis Horarum canonicarum. Unde et privatio fructuum beneficialium, atque obligatio eosdem restituendi ante omnem sententiam judicis, non est pœna proprie dicta, seu talis, qua quis privatur re sua, sibi que jam acquisita: sed potius imponitur ut conditio quædam, sive modus necessario observandus, nisi ponatur præfata residentia personalis, aut recitatio Horarum canonicarum. Sicut in simili contingit, quando testator relinquit cuipiam legatum sub conditione, sive onere, ut aliquid faciat: alias perdat legatum. Navarrus cap. xxv. *Manual*. n. 118. post Abbatem c. *Raynaldus*. n. 25. vers. in Glossa in *†. Adiciens de Testament.* et alios. Concordant dicta superius lib. I. tit. II. *De Constitutionibus*. § 10. n. 226. et seqq. ac præsertim n. 235.

52. *Alia pœna episcopi non residentis est, ut si debite monitus non resederit, privetur episcopatu. Causæ episcoporum, præsertim criminales graviores contra eos, de facto soam a Papa cognoscendæ, et terminandæ sunt.* — Resp. II. Alia pœna episcopi non residentis est, ut si debite monitus ad Ecclesiam suam

non redierit, neque sacerdotali more resederit, privetur episcopatu. Textus est in can. *Pervenit*. 7. q. 1. et c. *Qualiter*. 9. h. t. ubi specialiter sermo est de episcopis non residentibus, atque idcirco sua Ecclesia privandis. Quanquam de facto, sive post concilium Tridentinum, sess. 13. cap. VIII. *de Reform.* et sess. 24. cap. V. *de Reform.* causæ episcoporum, et præsertim causæ criminales graviores contra eos, quæ depositione, aut privatione dignæ sunt, ab ipso tantum summo Pontifice sint cognoscendæ, et terminandæ. Unde conformiter his et aliis a memorato concilio œcumenico salubriter statutis.

53. *Unde de facto episcopus non residens nequit privari episcopatu, nisi auctoritate Papæ, ac servata forma concilii Tridentini.* — Resp. III. De facto episcopus non residens nequit privari suo episcopatu, nisi auctoritate Romani Pontificis, ac servatis iis, quæ in concilio Tridentino, sess. 6. cap. I. *de Reform.* statuuntur in hæc verba: « Si quis a patriarchali, primatiali, metropolitana, seu cathedrali ecclesia, sibi quocunque titulo, causa, nomine, seu jure commissa, quacunque ille dignitate, gradu, et præeminentia præfulgeat, legitimo impedimento, seu justis et rationabilibus causis cessantibus, sex mensibus continuis extra suam diocesim morando abfuerit; quartæ partis fructuum unius anni, fabricæ ecclesiæ, et pauperibus loci per superiorem ecclesiasticum applicandorum, pœnam ipso jure incurrat. Quod si per alios sex menses in hujusmodi absentia perseveraverit, aliam quartam partem fructuum, similiter applicandam, eo ipso amittat. Crescente vero contumacia, ut severiori sacrorum canonum censura subjiciatur, metropolitanus suffraganeos episcopos absentes, metropolitanum vero absentem suffraganeus, episcopus antiquior residens, sub pœna interdicti ingressus ecclesiæ eo ipso incurrenda, infra tres menses per litteras, seu nuntium Romano Pontifici denunciare teneatur: qui in ipsos absentes, prout cujusque major, et minor contumacia exegerit, suæ supremæ Sedis auctoritate animadvertere, et ecclesiis ipsis de pastoribus ulterioribus providere poterit, sicut in Domino noverit salubriter expedire. » Hactenus concilium Tridentinum sub Paulo III. cit. sess. 6. cap. I. *de Reform.* sic statuens.

54. *Pœna concilii Tridentini, sess. 6. cap. I. de Reform. contra episcopos non residentes*

decreta, aggravata sunt per aliud decretum ejusdem concilii, sess. 23. cap. I. de Reform. — Cæterum, quia memoratum decretum a nonnullis trahi poterat in sensu a sacrosanctæ synodi mente alienos, ac si nimirum episcopis vigore illius decreti quinque mensibus continuis abesse liceret: hinc idem concilium, sess. 23. cap. I. *de Reform.* inhærendo eidem Decreto sub Paulo III. constituto, declaravit imprimis, quod episcopi singulis annis possint abesse duntaxat per duos, vel ad summum tres menses. Deinde, præter alias pœnas, sub Paulo III. impositas, et innovatas, decrevit citatum concilium, quod episcopus illegitime absens, pro rata temporis absentia fructus suos non faciat, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos detinere possit, juxta dicta n. 50. et 51. Et quia istud posset videri contradicere priori decreto, quod habetur cit. sess. 6. cap. I. *de Reform.* ubi episcopus sex mensibus absens perdit duntaxat quartam partem fructuum unius anni, uti liquet ex verbis ipsius n. præced. relatis: hinc pro concordia inquit Lessius, lib. II. *de Just. et jur.* cap. xxxiv. dubit. 29. n. 157. quod per concilium Trident. sess. 23. cap. I. *de Reform.* imponens obligationem restituendi omnes fructus pro rata temporis absentia, alia etiam declaratione non secuta, aggravata, seu aucta fuerit illa pœna, quam memoratum concilium cit. sess. 6. cap. I. *de Reform.* sub Paulo III. statuerat de amittenda duntaxat quarta parte fructuum unius anni propter absentiam sex mensium.

55. *Responsio aliorum auctorum pro concordia horum decretorum concilio refertur ac rejicitur.* — Fatendum quidem, quod Castro Palao, tract. XXIII. *de Beneficiis*, disp. 5. punct. 3. n. 2; Pirhing h. t. n. 74; Engel eod. n. 4. aliquam aliam dent responsonem pro concordia citatorum duorum decretorum concilii Tridentini; dum asserunt, quod concilium Tridentinum, sess. 23. cap. I. *de Reform.* loquatur de fructibus tempore illegitimæ absentia correspondentibus: idem vere concilium sess. 6. cap. I. *de Reform.* sub Paulo III. celebrata, agat de restituenda quarta parte fructuum tempore factæ residentia legitime perceptorum. Verum hæc responsio est captu difficilis: quia enim, juxta relatum textum concilii Tridentini, sess. 6. cap. I. *de Reform.* episcopus sex mensibus illegitime absens, pœnam amissionis quartæ partis fructuum unius anni ipso

jure incurrit; et si per alios sex menses in hujusmodi absentia perseveraverit, aliam quartam partem fructuum eo ipso amittit: quo modo isthæc posterior pœna (idem servata proportione dicendum de priori) intelligi poterit de quarta parte fructuum, tempore factæ legitimæ residentia percipientum; cum tamen episcopus prioribus sex mensibus illegitime absens, et postea aliis sex mensibus perseverans in ejusmodi absentia, supponatur toto anno nunquam resedisse? Placet igitur inhære responsioni per Lessium, ubi supra, datæ; nam novum non est, etiam in eadem compilatione juris et absque ulla inde sequente antinomia, seu contrarietate legum reperiri diversas pœnas transgressoribus statutis, quarum priores, ob hominum malitiam minus proficientes, aggravantur per posteriores, arg. can. 1. et seqq. dist. 29.

56. *Aliæ pœnæ episcopis non residentibus taxatæ. Remissive.* — Aliæ nonnullæ pœnæ episcopis non residentibus taxatæ, sicut et gratiæ, seu privilegia residentibus concessa, habentur in constitutione 10. Pii V. quæ incipit. *De salute.* Et constitutione 91. ejusdem Pontificis, *In suprema*: quarum utraque refertur tom. II. *Bullarii Romani.* In constitutione 139. Urbani VIII. *Sancta synodus*: atque refertur tom. IV. ejusdem *Bullarii Romani*: ubi si placet, videri poterunt; nam veluti longiores, consulto hic omittuntur.

§ III.

DE RESIDENTIA PAROCHORUM, ALIORUMQUE CURATORUM.

57. *Quidnam generatim circa residentiam parochorum, aliorumque curatorum, et non residentias pœnas, statuerit concilium Tridentinum.* — Queritur I. Quidnam generatim circa residentiam parochorum, aliorumque curatorum inferiorum, et non residentium pœnas, statuerit concilium Tridentinum? Resp. I. Ista potissimum habentur in dicto concilio Tridentino, sess. 23. cap. I. § *Eadem omnino de Reform.* sequentibus verbis: « Eadem omnino (quæ de residentia episcoporum ibidem præmittentur) etiam quoad culpam, amissionem fructuum, et pœnas de curatis inferioribus, et aliis quibuscunque, qui beneficium aliquod ecclesiasticum, curam animarum habens, obtinet, sacrosancta synodus declarat, et decernit: ita tamen, ut quandocunque eos, causa prius per episcopum cognita, et

probata, abesse contigerit, vicarium idoneum, ab ipso ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione relinquunt. Discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa non obtineant. Quod si per edictum citati, etiam non personaliter, contumaces fuerint, liberum esse vult ordinariis, per censuras ecclesiasticas, et sequestrationem, subtractionem fructuum, aliaque juris remedia etiam usque ad privationem compellere; nec executionem hanc, quolibet privilegio, licentia suspendi posse. » Hæc ibi.

58. *Ibi tenentur jure divino residere, estque in eis strictior obligatio residentia, ac in canonicis.* — Ex quibus verbis inferitur primo, quod parochi, aliique curati, jure divino teneantur residere: nam ipsum pastorale officium exigit hoc in parochis, cæterisque curatis, sicut et in episcopis, conformiter dictis supra § 1. n. 10. et seqq. Unde consequens est, quod non omnes causæ, quæ excusant canonicos a residentia personali, æque excusent obtinentes beneficia curata: nam in his residentia obligatio oritur ex jure divino naturali; sicque est multo strictior et actior præ illa, quæ ex solo jure ecclesiastico provenit. Fagnanus c. *Clericos* n. 8 et 15. h. t. Et hinc possunt quidem abesse duo canonici ob servitium episcopi, c. *De cætero*. 7. h. t. non tamen parochi, aliique curati, nisi ad duos duntaxat menses, juxta dicenda n. 94 et 95.

59. *Parochi, aliique curati non residentes, præter peccatum mortale, fructus, pro rata temporis absentia non faciunt suos, etc.* — Refertur secundo, quod parochi, aliique curati non residentes, præter peccatum mortale, quod incurrunt (nisi modicitas temporis absentia eos excuset, uti limitat Fagnanus c. *Relatum*. n. 44. h. t.) pro rata temporis absentia fructus non faciant suos; nec eos tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, retinere valeant. Nam hoc ipsum statuit concilium Tridentinum ibidem de episcopis, quibus « quoad culpam, amissionem fructuum, et pœnas, » æquiparavit curatos inferiores, uti liquet ex proxime relato textu concilii: unde redeunt dicta superius § præced. n. 50. et 51.

60. *Per decretum concilii Tridentini dispositio juris communis adversus parochos non residentes, in multis est immutata, et in quibus.* — Resp. II. Per allegatam decretum concilii Tridentini, sess. 23. cap. I. *de Reform.* dispositio

juris communis adversus parochos, aliosque curatos non residentes, in multis fuit immutata, et alterata. Ita Fagnanus c. *Ex tuæ*. n. 29. 30. et seqq. h. t. idque probatur inductione. Imprimis enim parochus non residens, de jure communi non perdit fructus ipso jure. Abbas cap. I. *de Celebrat. missar.* n. 8. quamvis nonnulli contradixerint. Nunc autem parochus, aliusque curatus non residens, pro rata temporis absentia perdit fructus ipso jure, ut dictum num. præced.

61. Deinde spectat jure communi, beneficiarius non residens, si scitur, ubi sit, citari non potest per edictum, sed citari debet personaliter, c. *Ex parte*, 8. h. t. estque jam dictum supra § 1. n. 22. At vero juxta concilium Tridentinum potest citari « per Edictum, etiam non personaliter; » et si contumax fuerit, privari beneficio; uti liquet ex verbis, ejusdem concilii n. 57. relatis.

62. Tertio de jure communi beneficiarius non residens, si latitet, seu ignoretur, ubi sit, citari debet tribus edictis, ac post ultimum edictum debet expectari per sex menses, antequam privetur beneficio, c. *Ex tuæ*. 44. h. t. Nunc autem, hoc est, post concilium Tridentinum, sufficit indistincte, quod parochus, aliusque curatus non residens, citetur unico edicto peremptorio, cum competenti termino ad redeundum: quo relapso statim privari poterit. Siquidem concilium Tridentinum, ubi supra, simpliciter dicit, « Si per edictum citati — contumaces fuerint, liberum esse vult ordinariis — etiam usque ad privationem compellere. » Fagnanus loc. cit. n. 40. et n. 32. et seqq. nonnullas alias differentias inter jus commune, et concilium Tridentinum, quoad propositum subjungens.

63. *An parochi non residentes, sint compellendi ad residentiam juxta ordinem pœnarum in concilio Tridentino enumeratarum, variant doctores. Affirmativa sententia refertur.* — Resp. III. Utrum parochi, aliique curati, qui sive personaliter, sive per edictum citati, contumaciter adhuc absunt, sint compellendi ad residentiam juxta ordinem pœnarum in concilio Tridentino cit. sess. 23. cap. I. § *Eadem omnino*, enumeratarum, variant doctores. Affirmat Barbosa part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 53. n. 105, citans decisionem Rotæ in una Salamantina, die 5 decemb. 1567. coram card. Ceraphino, inter hujus impressas decis. 27. Idem tenet Ugolinus *ae Offic. episc.* cap. xv. § 4. n. 4 ac videtur de-

clarasse sacra Congregatio concilii die 6 decemb. 1576, dum asseruit, quod contra parochos tempore pestis non residentes, præmisso edicto, seu monitione, sit procedendum, prout concilium mandat sess. 23. cap. I. *de Reform.* Nempe prius per censuras; secundo per sequestrationem, et subtractionem fructuum; postea, si hæc remedia non prosunt, possit contra eos procedi per privationem: prout refert Fagnanus c. *Clericos*. n. 41. h. t.

64. *Opposita sententia videtur tenenda.* — Oppositam sententiam, videlicet ad privationem parochi ob non residentiam non esse necessarium, ut prius procedatur per alias pœnas, nempe per censuras ecclesiasticas, et per sequestrationem, ac subtractionem fructuum, etc. tenet Garcias, part. III. *de Beneficiis*, cap. II. n. 139. Castro Palao, tract. 13. *de Beneficiis*, disp. 5. punct. 3. n. 10. Flamin. Parisius, lib. I. *de Resignat. Benefic.* cap. X. n. 61. et Fagnanus, c. *Ex tuæ*. n. 48. h. t. Qui istud desumunt ex verbis citati concilii Tridentini, ponderando illa verba: « Liberum esse vult ordinariis: » et consequenter episcopus procedens contra curatum non residentem, non arctatur præcise ad observandum ordinem illarum pœnarum.

65. *Solvitur notabilis instantia.* — Nec obstat declaratio sacrae congregationis n. 63. relata. Nam loquitur in casu speciali, seu de parochis non residentibus tempore pestis, quia enim olim fuerat controversum inter theologos et canonistas, an eo tempore parochi personaliter residere tenerentur, de quo inferius n. 102. et seqq. noluit sacra congregatio, statim contra absentes procedi posse per privationem beneficii, nisi prius aliæ pœnæ per ordinem præmitterentur. Verum extra illud tempus generaliter consulta eadem sacra congregatio, an sit arbitrium episcopi, qua via, et quo remedio uti voluerit contra non residentes, nempe vel censuris, vel sequestratione et subtractione fructuum, vel privatione? Respondit, ita esse Fagnanus cit. c. *Ex tuæ*. n. 48. h. t.

66. *Parochus non residens, an sit ipso jure privatus beneficio.* — Dices. Parochus non residens, ipso jure est privatus beneficio; ergo frustra hæc quæstio movetur, simulque frustra concilium Tridentinum loc. cit. decrevit, liberum esse episcopo talem privare. Antecedens patet ex c. *Extirpandæ*. 30. § *Qui vero de Præbend.* ponderando illa verba: « Alioquin non residens, illa (seu Eccle-